

da; sed ante alias Orationes ab Ordinario imperatas, et Orationes Votivas stricte dictas, quas Celebrans ad libitum suum adderet.

Q. 102. *Quid faciendum est, si eadem die qua occurrit hujusmodi Anniversarium, Oratio pro Papa esset dicenda?*

R. 1º Si Oratio pro Papa jam præscripta foret tamquam imperata, in eo casu hæc omittitur, et dicitur tantum, vel Oratio pro Papa, ratione Anniversarii ejus, vel Oratio pro Episcopo, in ipsius Anniversario. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Martii 1870, n. 3213, antiq. 5445, ad 1.)

2º Casu quo Anniversarium Summi Pontificis et Anniversarium Episcopi occurrerent eadem die, tunc de Anniversario Papæ fit in propria die, de Anniversario Episcopi autem agendum est die sequenti. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Decembris 1864, n. 3132, antiq. 5344.)

### § 3. De Oratione imperata

Q. 103. *Quæ Oratio inter Votivas late dictas vocatur «imperata»? Qua de causa Oratio imperata præscribi potest? Quinam possunt Orationes imperare, seu præscribere? Quinam obligantur Orationes imperatas in Missa dicere? Quamdiu dici debet Oratio imperata?*

R. I. Oratio imperata vocatur illa quæ, nullam habens relationem cum Officio diei, non vi Rubricarum, sed ex præcepto speciali Ordinarii, in Missis per aliquod tempus addenda præscribitur, ex causa rationabili, ut secundum rerum adjuncta bono alicui communi provideatur.

In Decretis frequentius vocatur *Collecta* (cfr. Q. 66, 3º).

II. Oratio specialis præscribitur in aliqua necessitate, aut ex causa rationabili, nempe pro bono suscipiendo, aut pro malo avertendo. Episcopi seu Ordinarii est eligere Orationem, quæ meliori modo respondeat necessitati, aut rerum adjunctis. — De Oratione imperata pro defunctis dicetur Q. 131.

III. Orationes imperare facultatem habet tantum Ordinarius, scilicet, Summus Pontifex, ubicumque voluerit, et Episcopus Ordinarius, in sua Diœcesi.

A lege determinatum non est, quot numero Orationes possit Ordinarius imperare; praxis tamen fere universalis est, Roma exemplum dante, ut Ordinarii fere semper unam, et identidem duas Orationes imperent, prout bonum commune postulat. (Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 611.)

Prælati regulares non possunt præscribere Orationem imperatam dicendam a subditis suis, tam pro necessitatibus Ordinis quam pro necessitate communi, sine licentia Episcopi Ordinarii loci. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Martii 1779, n. 2514, ad 6, antiq. 4393, ad 16.)

Ex his satis intelligitur, quod nullus Sacerdos propria sua auctoritate valeat Orationem aliquam in Missa addere, ut plenus satisfaciat intentioni ejus qui stipendum pro Missa dedit, ex. gr., in honorem alicujus Sancti, vel pro aliqua necessitate; hoc non potest facere nisi quando ritus Missæ permitteret Orationes stricte dictas Votivas (cfr. Q. 74, 3º, b; et QQ. 89-92), aut quando tertia Oratio a Rubricis præscripta esset ad libitum ipsius relicta. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Septembris 1850, n. 2981, antiq. 5146, ad 3.)

IV. Orationem imperatam dicere obligantur omnes Sacerdotes qui Missam celebrant in loco, in Diœcesi, in qua est imperata ab Ordinario.

In Ecclesiis Regularium, aliisque Ecclesiis exemptis, recitandæ sunt Collectæ ab Ordinario loci præscriptæ, et non licet Clero earumdem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libitu, antequam Ordinarius id iussicerit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Aprilis 1821, n. 2613, antiq. 4578, ad 1 et 2.)

Sacerdotes alienæ Diœcesis obligantur etiam ad dicendam Orationem præscriptam ab Episcopo loci ubi celebrant, et non sunt liberi ab hac Oratione imperata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Martii 1898, n. 3985.) Negligenda est in casu Oratio imperata ab Ordinario Sacerdotis celebrantis. (Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 285.)

V. Oratio imperata debet in Missa tamdiu dici, quamdiu id jussert Ordinarius; nec ulli licet ab ea recitanda cessare pro libitu. — Communiter in mandato Ordinarii exakte definitur tempus quo durante Oratio imperata dici debet.

Attamen in quibusdam circumstantiis generaliter determinari tempus ægre potest. Ita, ex. gr., fere quotannis præscribenda venit Oratio imperata in nostra Dioecesi, tum uno anno ad postulandam aëris serenitatem, tum alio anno ad petendam pluviam. In utroque casu præscribitur dicenda, aut quamdiu necessitas durabit, aut donec sufficiens pluvia obtenta fuerit. — Uniuscujusque loci rectori relinquitur in casu judicare de necessitatis duratione in loco; quia in nostra Dioecesi Mechliniensi necessitates sub respectu siccitatis et pluviae ita diversæ sunt, ut cum in una parte siccitas desideratur, in alia parte opportunum remanet pluviae congruentis auxilium.

NOTA. Juvat referre pro casu speciali sequens S. Rituum Congregationis Decretum: Ad dubium: « Quum occasione mortis alicujus Episcopi præscribat Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. 38. n. 27), quod ipso sepulto, preces pro opportuna electione Deo fundantur; queritur: Utrum hæc Collecta pro eligendo Episcopo continuari debeat usque ad diem Consecrationis, an electionis tantum? » S. Congregatio respondendum censuit: « Collectam continuari debere usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti. » (Decret. 19 Decembris 1829, n. 2672, antiq. 4651, ad 3.)

Q. 104. *In quibus Missis dicenda est Oratio imperata? In quibus casibus omittitur?*

R. I. Oratio imperata dici debet in omnibus Missis, tum privatis, tum cantatis, tum etiam solemnibus (cfr. Q. 6); ita ut numquam ratione solemnitatis tantum extrinsecæ omitti possit.

Dicitur in omnibus hujusmodi Missis quæ non sunt de *Requiem*; nisi Oratio imperata præscripta fuerit dicenda pro defuncto, defuncta, vel defunctis, in quo casu etiam dicitur in iis Missis de *Requiem*, quæ plures Orationes admittunt. (De hac imperata pro defunctis dicitur infra, Q. 131.)

II. Oratio imperata omittitur: 1º in omnibus Missis Festorum duplicitum 1 classis.

2º In Missis Festorum duplicitum 2 classis solemnibus et cantatis. In Missis privatis vero ad arbitrium Celebrantis dici vel omitti potest. (Cfr. Decr. S. Rituum Congregationis, 15 Maii 1819, n. 2597, antiq. 4560, ad 2; et Adnotationes super hoc Decreto, in Vol IV. Collectionis, pag. 188, ad 2.)

3º In Missis omnibus Dominicæ Palmarum, Feriæ V in Cœna Domini, Sabbati Sancti, Vigiliæ Nativitatis Domini, et Vigiliæ Pentecostes. (Cfr. Decr. S. Rituum Congregationis, 3 Martii 1761, n. 2461, ad 2, antiq. 4299, ad 5; 20 Aprilis 1822, n. 2618, antiq. 4586, ad 2; et Adnotationes super Decreto 2618. in Vol. IV Collectionis, pag. 220.)

4º In Missis Votivis solemnibus. (Pro Missis Votivis privilegiatis indicabitur, quando de eis agitur in altera Sectione Tractatus, in quibus debeat omitti.)

5º Omittitur etiam Oratio imperata, si sit eadem ac Oratio a Rubricis jam pro Missa præscripta. Itaque si imperata est Oratio de Spiritu sancto, omittitur infra Octavam Pentecostes, in Missis Votivis de Spiritu sancto, necnon in iis Missis in quibus Oratio de Spiritu sancto dicenda est tamquam Commemoratio communis. (De hac omissione dicitur postea, Q. 117.)

Q. 105. *Quo loco, et quo modo dici debet Oratio imperata?*

R. I. Oratio imperata dicitur semper post omnes Commemorationes speciales et communes a Rubricis præscriptas, quarum nulla umquam propter eam potest omitti; et speciatim notatur quod non licet ipsam dicere pro illa Commemoratione communi, quæ tertio loco dicenda ad libitum Celebrantis eligenda relinquatur (cfr. Q. 89), sed post hanc dici debet per modum præcepti et obligationis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Augusti 1709, n. 2198, ad 2, antiq. 3814, ad 3.) — Oratio imperata dicitur etiam post Orationes Votivas late dictas de SS. Sacramento (cfr. Q. 94), et de Anniversariis Summi Pontificis et Episcopi (cfr. Q. 101). — Sed Oratio imperata semper dicitur ante Orationes Votivas stricte dictas, quas Celebrans ad libitum suum adjungere potest (cfr. Q. 90).

II. Oratio imperata semper dicitur sub altera con-

clusione, et numquam conjungitur cum Oratione substantiali Missæ; ita ut si unica tantum dicenda sit Oratio in Missis ritus duplicis, hac cum sua conclusione dicta, præmisso iterum *Oremus*, dicatur Oratio imperata cum sua conclusione; si plures Orationes sunt dicendæ, ipsa dicatur suo loco ut supra, et cum sua conclusione, nisi Orationes Votivæ stricte dictæ adjungantur. (Cfr. dicta Q. 94, 5<sup>o</sup>.)

NOTA. Regula de numero impari Orationum (cfr. Q. 72) non debet observari in casu quo Oratio imperata ab Ordinario sit præscripta; unde si tres a Rubrica præscribuntur Orationes in Missa ritus simplicis, et quarta Oratio sit adjungenda ex præscripto Ordinarii, in hoc casu non est addenda quinta Oratio: regula enim numeri imparis non valet nisi pro Orationibus a Celebrante ad suum libitum additis.

Q. 106. Si plures Orationes simul imperentur, quo ordine ipsæ tunc sunt dicendæ?

R. Si Ordinarius duas vel plures Orationes imperatas præscribit, dicuntur, non ordine temporis quo præscriptæ sunt, sed ordine dignitatis (cfr. Q. 92), vel eo ordine quo in Missali referuntur (cfr. Q. 38).

Unde si imperata sit Oratio, ex. gr., pro Papa, et postea insuper præscribatur Oratio imperata de Spiritu sancto, hæc tamquam dignior dicenda erit ante Orationem pro Papa.

NOTA. I. Regulæ supra datae observandæ sunt pro Oratione imperata, qualiter ordinarie præscribitur.

Sed potest aliquando præscribi Oratio pro re gravi; ita Summus Pontifex Pius IX, 11 Aprilis 1869, pro Concilio Vaticano præscripsit Orationem de Spiritu sancto, dicendam etiam in Festis duplicibus 1 classis; ita potest Episcopus itidem pro re gravi Orationem imperare; etenim ad dubium: « Episcopus potestne præcipere ut Collecta pro re gravi, v. g. pro Papa, recitetur etiam in duplice primæ classis sub unica conclusione? » S. Rituum Congregatio declaravit: « Affirmative; si revera sit pro re gravi. » (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3365, antiq. 5622, ad 3.)

Stante mandato Orationis imperatæ quæ declarata

fuerit pro re gravi, ea servanda sunt quæ præscribuntur, et quo modo præscribuntur: in tali casu Oratio imperata dicitur etiam in omni Festo duplice 1 et 2 classis; in Missa Festi duplicis 1 classis adjungitur Orationi substantiali Missæ sub unica conclusione, juxta Decretum supra citatum, nisi alia Commemoratio specialis sit facienda; in Missis Festorum duplichum 2 classis, et inferioris classis et ritus, dicitur sub altera conclusione, et, si sint faciendæ, post Commemorations speciales.

Quoad Orationem de Spiritu sancto tempore Concilii Vaticanæ, pro casu quo Missa solemnis celebretur coram SS. Sacramento exposito, declaravit S. Rituum Congregatio: 1<sup>o</sup> Commemorationem SS. Sacramenti esse præmittendam Orationi de Spiritu sancto; 2<sup>o</sup> in Festis duplicibus 1 classis, in casu Orationem SS. Sacramenti conjungendam esse cum Oratione Festi (cfr. Q. 94, Nota I); Orationem vero de Spiritu sancto dicendam esse sub distincta conclusione. (Decret. 22 Aprilis 1871, n. 3245. antiq. 5480, ad 1 et 2.)

NOTA. II. Quotannis in Directorio præscribitur, quod durante solemni secessu, qui instituitur a Sacerdotibus Dicecessis in decursu mensium Augusti et Septembris, omnes Sacerdotes per Dicecessum in Missæ Sacrificio addant Orationem imperatam de *Spiritu sancto*, quotiescumque non obstabunt Rubricæ. Aliquando dubitatur quandonam incipienda sit hujus Orationis imperatæ recitatio: mens præscribentis et praxis est, ut recitetur tantum in Missis quæ celebrantur *durante secessu*; hic autem incipit die Dominica ad vesperam, et terminatur Feria sexta meridie; itaque, in singulis ex quatuor hebdomadibus in quibus secessus instituitur, dicetur hæc imperata ad Feria II usque ad Feriam VI inclusive, modo non adsint impedimenta posita supra in Q. 104, II; non autem in Missis Dominicæ neque Sabbati, utpote quæ non celebrantur durante secessu. (Cfr. Conferentiæ ecclesiastice Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1888, Q. IV ex Liturgia.)

NOTA. III. Regulæ datae pro omissione Orationis imperatæ in Missis, usuveniunt etiam pro Oratione quæ diebus Dominicis post Missam parochiale cantatur pro Rege; omittitur ergo hæc Oratio pro Rege in iis

82 (Q. 107) De Orationum conclusione

Dominicis, in quibus occurunt celebranda Festa duplia 1 et 2 classis, et etiam in Dominica Palmarum, et in Dominica IV Adventus, si in ea occurrerit Vigilia Nativitatis Domini. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1888, Q. III ex Liturgia.)

ARTICULUS IV

DE ORATIONUM CONCLUSIONE

Q. 107. Quid est Orationis conclusio? Quæ conclusiones Orationum distinguuntur in Officiis ecclesiasticis, et in quibus Officiis usuveniunt?

R. I. Conclusio Orationis ea est formula qua absolvitur, et quæ constituit quartam Orationis partem, seu obsecrationem (cfr. Q. 69). Quas in præcedentibus Orationis partibus diximus gratiarum actiones, et flagitavimus postulationes, in conclusione præsentamus per Jesum Christum, qui unus est mediator Dei et hominum, per quem solum accessum habemus ad Patrem. Sed et totam Sanctissimam Trinitatem intendit Ecclesia quasi indesinenter conglorificare per continuum usum hujus formulæ, quæ Doxologiam continet.

II. Distinguuntur conclusiones Orationum, primo ratione Personæ SS. Trinitatis ad quam aliqua Oratio dirigitur; et alia est conclusio Orationis quæ ad Patrem, alia Orationis quæ ad Filium dirigitur (cfr. Q. 70).

Sed insuper in diversis Officiis ecclesiasticis distinguuntur Orationum conclusiones, ratione formulæ vel longioris vel brevioris qua conclusio constat; utraque describetur in sequentibus Quæstionibus.

Longiores conclusiones usuveniunt tantum in Missa pro Orationibus ante Epistolam, pro Secretis, et pro Postcommunionibus; et in Officio divino pro Orationibus quæ dicuntur in fine Horarum Canonicarum.

Breviores conclusiones adhibentur pro reliquis Orationibus, tum in Missa, tum in Horis Canonicis, tum in aliis ecclesiasticis functionibus, ex. gr., in Benedictionibus, in Absolutionibus; nisi aliter in Missali, in Breviario, in Rituali, in Pontificali, aut peculiari aliqua lege sit dispositum.

De Orationum conclusione (Q. 108, 109) 83

Q. 108. Da tres diversas conclusiones longiores Orationum quæ diriguntur ad Deum Patrem.

R. 1º Orationum quæ ad Deum Patrem diriguntur (cfr. Q. 70), regularis conclusio est: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exempla habentur in pluribus Missis.

2º Quando in principio, vel in medio hujusmodi Orationis mentio fit Filii, tunc in conclusione dicitur: *Per eumdem Dominum nostrum, etc.*

Exempla: Oratio *A cunctis*, in qua occurrit: *Virgine Dei Genitrice Maria*; Oratio in Festo Paschatis, quæ incipit: *Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum*; et aliae, in quibus hujusmodi mentio exigit ut addatur in conclusione verbum *eundem*, modo prædicto.

3º Quod si mentio Filii fiat in fine Orationis, in conclusione omittuntur verba *Per Dominum... Filium tuum*, et conclusio erit: *Qui tecum vivit et regnat, etc.*

Exemplum sit Oratio Missæ votivæ B. Mariæ V. a Nativitate Domini usque ad Purificationem: *Deus, qui salutis æternæ, etc.*, quæ terminatur verbis: *per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum J. C. Filium tuum*; hæc concludit statim verbis: *Qui tecum vivit, etc.*; item conclusio Orationis in Festo S. Ludovici, Regis, dicenda est: *Qui tecum vivit etc.* (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Septembris 1673, n. 1490 antiq. 2656, ad 5.)

Etiamsi Filii mentio non ita expressa habeatur, qualis in exemplo ponitur, si tamen in ultimis verbis Orationis de Filio, aut de mysterio quod Filium spectat dicitur, eodem modo incipiet conclusio a verbis: *Qui tecum vivit, etc.*

Tales sunt, ex. gr., Oratio ad primam Missam in Nativitate Domini; Oratio in Festo Assumptionis B. Mariæ V., et aliae.

Q. 109. Da duas diversas conclusiones longiores Orationum quæ diriguntur ad Deum Filium.

R. 1º Regularis conclusio Orationum quæ ad Deum Filium diriguntur est sequens: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exemplum habetur in Oratione SS.